



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Censibus. Consilium CCCCXCII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

nerabilis D. Officialis erunt, eandem partem Ream secundum agentium conclusionem in hac causa captam per omnia condemnare.

De Censibus.

S V M M A R I V M.

Reditus hypothecati solutio.

1. Instrumento domestico non creditur.
2. Rationes defuncti sola non probant.
3. Alius confitendo alij non nocet.
4. Actio personalis fundi possessore non sequitur sed realis.
5. 7. Obligatus ratione rei certae, re deserta liberatur.
6. Reditus sub hypotheca assignatus reali actione petendus.

CONSILIUM CCCCXII.

IN causa paupercolorum Reorum Ioannis de Holsbeck, Lambertii Grupulants & Ioannis Coelmans, adversus Dominicellum Fredericum Botnis, nomine uxoris suae Actorem, nihil aliud pendendum est, quam an pro parte Actoris probatum sit, iure aliquo personali quondam Henricum Hozze obligatum fuisse Magistro Rodolpho Absolonis (quem Actor iure successione hereditariae repraesentat) pro reditu medij modij filiginis, sic ut inde ad illius haereditatem derivari poterit aliqua obligatio? Et sane huiusmodi obligationis nulla extat directa probatio: sed conatus est Actor ex obliquo duobus modis id probare. Primum, per registra praefati quondam Magistri Rodolphi; secundum, per quendam cessionem Fratrum Praedicatorum Lovanienium.

Ceterum horum duorum conjunctio apertissime non tantum non probat Actoris intentionem, sed eandem potius elidit. Registra namque videntur asserere; hunc reditum ab anno millesimo quingentesimo vicesimo octavo, usque ad annum tricesimum nonum exclusive solutum esse eidem Magistro Rodolpho; sed huius assertionis improbabilitatem arguit praedicta cessio, quae dicitur facta anno vicesimo nono: sic ut non sit verosimile ei fuisse solutum, quod Praedicatoribus pro dicto anno vicesimo octavo, & alijs, qui cessi nem antecederunt, fuisset debitum. Deinde singula per se inspicendo, non potest dici vis probationis sufficiens in ijs esse: nam registra privati Magistri Arnoldi annotationem continent; & publica auctoritate non fulciuntur, sed sunt domesticum instrumentum dumtaxat; cui sine alijs adminiculis stari non debet. *Instrumenta C. de probat.* Nam exemplo pernitiosum est, ut ei scriptura credatur, quam unusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit, *l. Exemplo Cod. de i. iur.*

Neque augetur fides huiusmodi registorum per mortem dicti Magistri Rodolphi: nam & hoc constitutum est, *l. Rationes C. de rat. defuncti*, quae in bonis eius inveniuntur, ad probationem sibi debite quantitatis solas non sufficere. Et peculiarem juris rationem habet, quod credatur registris & rationibus Receptorum bonorum Ecclesiae alicujus, *Doct. in c. Ad audientiam De praescript. & in l. Censui D. de probat.* & aliorum, qui necessitate officij inuncti libros rationum seu redituum conficiunt, *Bart. in l. Nuda De donat. & in l. Quedam §. numularios De edendo.* Adminiculum vero fidei vel credulitatis nullum alijs registris adjungi

potest ex praefato instrumento cessionis; nam & illud privati actus in praedictum Reorum vim & potestatem tantum habet; * nemo enim confitendo de jure tertij, *Innoc. in c. cum super nu. 8. de sent. & re iudic.* neque etiam transferendo actionem aut obligationem adversus tertium, tertio, qui non adest, neque consentit, praedictat; sed est cessio ex defectu materiae nulla: cedi enim non potest, quod non constat cedentem habere, *l. Traditio de acquir. rer. dominio.* Deinde adminiculi huiusmodi imbecillitas inde detegitur, quod in eo asseratur, huiusmodi reditum deberi per Henricum H. quem, si vera sunt annotationes registri, constat tunc fuisse mortuum; cum nulla sit annotatio soluti reditus per praefatum Henricum. Quae ideo magis obtinere debet, quod Actor juris communis potestatem agnoscent, quodque huiusmodi privati registris non stetur, specialiter allegaverit, & probare obtulerit, quod huiusmodi libro redituum semper plena fides adhibita fuerit in iudicio & extra; & quod in Concilio Brabantiae saepissime secundum eum jus dictum sit; cujus tamen nullam fecit probationem, quamvis integri anni terminos probandi habuerit. Ut autem aliquid (sine praedictio tamen veritatis) auctoritatis & fidei tam dicto libro, quam instrumento cessionis attribuat; inde tamen non potest fundari intentio Actoris. * Constat etenim ex utroque, non iure alicujus personalis obligationis dictum reditum medij modij filiginis esse debitum, aut solutum, sed ratione certi fundi, tam in dicto registro, quam in instrumento cessionis expressim descripti & designati: ita ut necesse quoque fuerit Actori probare Reos huius causae huiusmodi fundum possidere, quem tamen revera non possident. Et sic quamvis personalis actio haereditum, non fundi possessorem sequatur, *l. i. §. si haeres ad s. c. Trebell.* realis tamen non haereditum, sed possessorem sequitur, *l. Pignoris persecutio, l. si fundus §. in vindicatione de pignor.* * Vnde etiam sit, ut qui ratione alicujus rei seu fundi pensionem, aut reditum annuum debet, re deserta aut ad alium translata, amplius non teneatur, *Floria & Angel. in l. Et si forte §. etiam in princ. si servit. vindicetur.* * praesertim quia notoria sit consuetudo territorij Lovanienis, Domino Assessori optimè nota, quod assignatio reditus sub pignore seu hypotheca, realem tantum actionem inducat, & assignans reditum non possit conveniri personali actione, nisi scorsum extra hypothecam assignationem personalem quoque promissionem specialiter fecerit: quae consuetudo improbanda non est.

* Sic ut, quamvis in tractatu emphyteutico ex dispositione juris communis non liceat emphyteuticæ rem emphyteuticam deferere, ut liberetur à canone, *l. 2. in verb. si dominus voluerit de contratio sensu C. De iure emphyt. & ibi r. ber & las.* per consuetudinem tamen induci possit, quod domino inviro liceat deferere, *Tiraq. de retrad. §. 34. Gloss. 1. nu. 8.* Reos itaque ab impetitione Actoris absolvendos esse puto; Actore in expensas litis condemnato.